

CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

MICHAELMAS TERM, WEEK 5

1. Translate:

An omen appears to queen Tanaquil and king Tarquinius.

eo tempore in regia prodigium uisu euentuque mirabile fuit. puero dormienti, cui Seruio Tullio fuit nomen, caput arsisse ferunt multorum in conspectu; plurimo igitur clamore inde ad tantae rei miraculum orto excitos reges, et cum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, ab regina retentum, sedatoque eam tumultu moueri uetuisse puerum donec sua sponte experrectus esset; mox cum somno et flammam abissee. tum abducto in secretum uiro Tanaquil “uiden tu puerum hunc,” inquit, “quem tam humili cultu educamus? scire licet hunc lumen quondam rebus nostris dubiis futurum praesidiumque regiae adflictae; proinde materiam ingentis publice priuatimque decoris omni indulgentia nostra nutriamus.” inde puerum liberum loco coeptum haberi erudiri que artibus quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur. euenit facile quod dis cordi esset: iuuenis euasit uere indolis regiae nec, cum quaereretur gener Tarquinio, quisquam Romanae iuuentutis ulla arte conferri potuit, filiamque ei suam rex despondit.

LIVY 1.39.1-4

expergiscor, -i: “be awakened”, “wake up”

uiden = *uidesne*

euado, -ere: “end up”

2. Prepare:

Phaedrus retells Aesop's fables for a Latin readership. In the fable of the frogs, Phaedrus tells of a time when the Athenians, under democracy, became discontent and demanded a tyrant. This soon came about but inevitably they tired of tyranny too, so Aesop told them this story:

'ranae, vagantes liberis paludibus,
clamore magno regem petiere ab Iove,
qui dissolutos mores vi compesceret.
pater deorum risit atque illis dedit
parvum tigillum, missum quod subito vadi
motu sonoque terruit pavidum genus.
hoc mersum limo cum iaceret diutius,
forte una tacite profert e stagno caput,
et explorato rege cunctas evocat.
illae timore posito certatim adnatant,
lignumque supra turba petulans insilit.
quod cum inquinassent omni contumelia,
alium rogantes regem misere ad Iovem,
inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
tum misit illis hydrum, qui dente aspero
corripere coepit singulas. frustra necem
fugitant inertes; vocem praeccludit metus.
furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
adflctis ut succurrat. tunc contra Tonans
"quia noluistis vestrum ferre" inquit "bonum,
malum perferte". vos quoque, o cives,' ait
'hoc sustinete, maius ne veniat, malum'.

(Phaedrus)